

Stephanus Galdeti

*De errore Pelagii pro quolibetis
aliqua notanda ac premittenda*

Editor: Florina Hariga

work in progress
16.07.2026

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **De errore PELAGII pro quolibetis aliqua notanda ac premittenda.**

Ire post PELAGIUM ut satis innuebatur supra contingit dupliciter, scilicet speculative et moraliter. Moraliter dupliciter, habitualiter et
5 totaliter, || ut sunt viventes conformiter suo errori, ut sunt gentiles pro suis operibus querentes honorem et famam nunc et post mortem. Et siqui sint christiani non eruditi in doctrina catholica opposita illi errori. Ex quo satis patet. Huius 'siqui sint non debiti ad honores et regiam promoveri' posset deduci ex supradictis.

P2 151v

10 Alii vadunt post PELAGIUM moraliter partialiter et ad tempus, puta aliquando non advertentes ad illud APOSTOLI *quid habet quod non accepisti* et ad tempus de suis actibus gloriantes qui nedum gloriantur de recte factis, ymo quando de peccatis honorabilibus et quandoque pro Christo utilibus, ut est superba predicatio verbi Dei.

15 Uterius pro hac materia et solvendis quolibetis premittenda essent aliqua in certo numero de requisitis ad recte operari, videlicet qualiter non sufficit alica doctrina moralis humanitus adinventata ad recte vivere seu ad cognoscendum que requiruntur ad recte vivere. Nec ad iuste dominari vel principari multo minus, sed requiritur doctrina vel notitia divinitus inspirata. Posset deduci multipliciter et multa inferri.

20 Ad bonum vero actum requiritur bonitas de genere vel saltem requiritur carere malitia de genere que oritur ex obiecto.

Requiritur ulterius bonitas finis. Uterius actualis vel habitualis intentio ultimi finis, ymo ultimi finis propter se dilecti, ymo non solum
25 propter se, sed super omnia. Uterius requiritur quod talis actus sit a Deo volitus esse iustus, et tunc talis actus qualis dictus est, est a Deo volitus esse iustus et nullus alter, sed nec potest esse, non enim potest homo absolvi ab obligatione ultimi finis.

Hoc tamen non sufficiunt ad esse meriti, nec requiritur quod Deus
30 actu velit illum actum esse dignum premio. Patet de actu caritativo presciti. Sed sufficit quod cum hoc quod vult actum illum esse iustum, velit illum esse talem quali debetur premium, si in illo sic operans perseveraret.

Patetque quod nullus talis actus est possibilis ex puris naturalibus et
35 influentia generali, sed requiritur auxilium speciale sive illud sit Deum multipliciter agere vel intensius etc., ut supra.

Actus huius integer et perfectus || est Dei donum Iac. 1 *omne datum* etc., et non solum hoc, ymo scire cuiusmodi sit hoc donum, ut dicit

P2 152r

sapiens post illa verba non possum esse continens etc.

Ex quo patet quodlibet tale esse potius obligativum quam esse meritivum alterius premii a se, nec sui ut premii, nam dans A gratis non obligatur ex hoc ad B modo nil Deus in nobis preter sua dona coronat,
5 ideo Christus *cum feceritis omnia que precepta sunt vobis* etc.

Ulterius sequitur quod nec talia sunt meritoria temporalis honoris, nec iuste pro hiis potest exigi honor, quamvis non iniuste gratis pro illis possit dari. Pro iniustis vero, nec exigi iuste potest, nec dari. Hoc patet de appetitu honoris supra.

10 Ire post PELAGIUM moraliter est gloriari ac superbire contra dictum APOSTOLI *qui gloriatur in Domino* etc. Hoc modo inerunt ille quinque virgines fatue que *veniente sponso non intraverunt* etc., nam sequebantur PELAGIUM gratiam Dei volentes emere unde Iudas *in viam Cayin abierunt*, contra illud *in viam gentium ne abieritis*, hoc enim omnia
15 *gentes inquirunt, filius hominis vadit* etc., *qui vult venire post me, abierunt retro, in beati immaculati in qui habitat*.

Et sic de multis concordantiis applicantibus proposito, *nunquid vultis abire retro, Domine ad quem ibimus* etc.

An sit possibile Ecclesiam ire post PELAGIUM. Dicuntur alica: omnis
20 homo iret post PELAGIUM nisi ad oppositum divinitus iuvaretur et dirigeretur, ymo quilibet viatores deiuvati, ymo omnis actum de facto Deus multos liberrime tamen dirigit dicens *ego, Dominus Deus, dirigens te in via qua ambulas, noli timere, Abraham* etc. Et sic de facto Ecclesia non vadit post PELAGIUM. APOSTOLUS: *sic nos existimet homo*, licet
25 possit Deo deserente, in hiis enim et aliis divina dignitas et libertas potius salvanda quam creature securitas etc. Nec tamen ista possibilitas errandi intelligenda est ex parte create potentia, nam si ex libertate creata ista pars deficeret, Deus provideret, ut fecit ibi *reliqui michi milia virorum qui || non flecterunt genua* etc.

30 || Totus mundus positus est in maligno et similes actoritates de totis etc. Innuat quod totus mundus vadit post PELAGIUM. Inquire huius.

An sit in potestate viatoris non ire post PELAGIUM. Dicuntur aliqua. Prima, quod opinari posse credere *Evangelio* ac rectum sensum et assensum habere de dictis Christi est intellectualiter et speculativo ire
35 post PELAGIUM. Et est principium non credendi *Evangelio*, quia est principium non implorandi divinum auxilium, ut est necessarium et

17–18 et sic — ibimus etc.] concordantias vide *add. in marg. P1* 19–29 an sit possibile — genua etc.] de ecclesia dubium *add. in marg. P1* 31 totus — huius] *in marg. sup. P1* ; *om. P2* 34 intellectualiter] *es add. sed del. P1*

faciebant discipuli dicentes *adiuva infirmitatem nostram*, et item adauge *in nobis fidem*. Ulterius patet quod hac de causa aliqui discrediderunt *Evangelio*, puta Iudei. Extimabant enim, quia non poterant credere *Evangelio* illa dicta esse incredibilia dicentes *durus est sermo iste*, et
 5 ideo *abierunt retro* post PELAGIUM. Non sic discipuli quibus Christus dixit: *numquid et vos vultis abire retro*, et dixerunt *Domine, ad quem ibimus* etc. Hec de ire post PELAGIUM intellectuali.

An prelati presentis temporis vadant post PELAGIUM. Primo, quod non omnis saltem intellectualiter *Petre, oravi pro te* etc., quamvis
 10 moraliter multi vadant. In Ps. *constitui legislatores sciant gentes* etc., et item Petrus petebat *quotiens peccabit frater et dimittam ei* etc.

Pro excusatione eorum possunt dici aliqua: quod non omnis exterior honestas mundialis est fastus nisi ille qui de superbo corde procedit. Ex quo ulterius patet quod non obstante honestate mundiali extrinseca intus
 15 possunt habere veram humilitatem Christi. Patet de sancto THOMA CANTUARIENSIS et de sancto Sabastiano, christiano milite, et de multis aliis sanctis tam prelati quam non prelati *qui fuerunt non alta sapientes* etc.

Potest etiam dici quod huius honores recipiunt non ut persone
 20 private, sed ut vicarii Dei, ut et Deo principaliter exhibitos, unde qui bene presunt duplici honore etc.

Alia causa posset dici, nam cum prelati presentis temporis generaliter desint miracula, et quamplurimis doctrina Evangelica et non nullis de quo dolendum est iusta vita, si cum hiis incederent, simpliciter
 25 haberentur contemptui et divina per eos celebrata.

Vicium huius Pelagianum periculissimum est multumque latens ac deceptum, ymo lapsus sapientum philosophorum, ymo perypatetici || hoc putaverunt virtutem. Patet de *magnanimitate qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt* Rom. 1. Non enim
 30 extimaverunt omnia regi Dei gratuita bonitate bonaque omnia fieri debere propter ipsum sincere dilectioni, omniaque opera nostra esse quedam Dei gratuita dona. Multaque huiusmodi ignorarunt, ut ex supradictis patet satis.

Huius vicium non solum de in pertinentibus virtutibus nascitur, ut
 35 patet in virtutibus philosophorum que virtutes esse ob huius superbiam desierunt esse virtutes et fuerunt vicia, ut frequenter AUGUSTINUS

P2 153r

9 omnis saltem] *sup. lin. P1* 10 gentes] *p. c. P1* 14 intus] minus
 P2 16 Sabastiano] Sebastiano P2 20 ut²] *sup. lin. P1* 26–33 vicium
 huius — patet satis] de huius vicio *add. in marg. P1* 26 huius] *sup. lin. P1*
 35 esse] *sup. lin. P1*

inquit de Romanis quem nec illi sufficerunt de quo dicitur *Domine Deus, virtutum adiuva nos*, ymo huius vicium de virtute humilitatis sibi contraria nascitur seu nasci aptum est et ipsam annihilare, iuxta versus communes *si tibi sit sapientia etc., sola superbia etc.*

5 De Christi divino considera quod omnia divina ab iniustitia inceperunt quod solis iustis debetur divinum quod solus Christus iustus fuit primeva iustitia vel maiori. Item iuridice redemit universos, et ideo universis debet dominari, etiam si universi non sint sortiti sue redemptionis effectum ex culpa sua. Item nulla humana creatura, ymo
10 nec angelica iusta fuit nisi Christi merito etc., nec iuste dominans cuicumque rei, ut supra.

Dicunt divinum velle efficax eo quod Deus vult aliquod fore esse vel fuisse est omnium causa sufficiens et efficax superfluente omni causa secunda concurrente nisi ex eo quod Deus vult ipsas sic concurrere. Et
15 ad huius voluntatem divinam ut causam immediatam omnia reducuntur que efficaciter fiunt ac producuntur in esse.

Ita est de voluntate iusti, ideo enim quod vult aliquid esse iustum, ideo iustum est, quia Deus vult esse iustum, sicut ideo aliquid est, quia Deus vult illud esse.

20 Et per consequens, radix iusti domini non voluntate humana aut quamvis alia a divina sortitur rationem iusti, quare illi soli iuste regnaverunt atque regnant quod Deus voluit non solum efficaciter regnare ut ypocritam, sed iuste regnare seu iustum esse, ut regnaverit. Multa de hiis dicenda forent. Possum rogare Patrem. Item de morte Ananie in
25 *Actibus*, 5 capitulum.

|| Contra errorem PELAGII: omnes orationes catholice ac canonice sunt, ut clare patet.

P1 93v

Ubi nota quod etiam pro influentia generali orare debet Ecclesia. Item adverte in materia de huius orationibus an pro temporali prosperitate
30 vel solum pro bono virtutis orandum. De affectione comodi, et timoris pene, et puritate actus iusti supra aliqua tacta sunt.

Aliqua posent esse dubia de accessu viatoris post PELAGIUM vel non.

An sit possibile viatorem continue accedere aut continue recedere vel sit necesse quandoque quiescere. Et quod prima pars sit possibilis, nam
35 possibile est viatorem omnia in gloriam Dei facere, etiam comedere et bibere, iuxta dictum APOSTOLI, et hoc dato semper in via Dei procedet.

5–11 de Christi divino — ut supra] de Christi dominio pauca *add. in marg. P1*
7 primeva] *p. c. P1* 8 dominari] denominari *P2* 12 Deus] *sup. lin. P1*
13 est — efficax] *sup. lin. P1*

Possibile etiam est ipsum nichil in gloriam Dei facere et sic continue recedet, nam omnia faciet affectione comodi que regnat deserta iustitia. Ad oppositum de dormiente. Sine argumentis: an SALOMON sapientiam meruit dormiendo?

5 An sit possibile esse aliquem viatorem qui nec accedat, nec recedat. Contra: per BERNARDUM dicentem in via Dei non procedere retrocedere est. Confirmatur, quia quilibet viator tenetur accedere. Ad oppositum de actibus indifferentibus vel de bonis actibus moralibus non acceptatis. Item in Apoc.: *utinam nec calidus, nec frigidus, sed quia tepidus* etc.

10 An sit possibile viatorem simul accedere et recedere in via. Quod sic, quia possibile est ipsum peccare venialiter et mereri, igitur. Oppositum, quia omne recedere est difformiter agere et omne progredi est conformiter agere divine voluntati, igitur. Nullum idem agere, operari seu moveri viatorem est accedere ac recedere. Confirmatur, quia non contingit idem
15 mobile super eodem spatio respectu eiusdem termino uno motu accedere et recedere.

Utrum quodlibet moveri iusti viatoris sit accedere. Videtur quod sic quod quodlibet tale est in caritate. Ad oppositum, quia aliquod tale est non ex caritate, ymo aliquod tale est peccare, nam septies in die cadit
20 iustus.

Utrum quodlibet moveri iniusti viatoris sit recedere. Quod sic, quia similiter displicet Deo inpius et impietas eius, sed quidquid fit ab impietate est recessus, igitur quidquid fit ab inpio. Ad oppositum, quia sic dicere nimis foret durum.

25 Utrum aliquod moveri electi sit recedere et ire post PELAGIUM. Quod non, quia omnia tali cooperantur in bonum*, iuxta illud APOSTOLI *omnia cooperantur in bonum hiis qui secundum propositum* etc. Oppositum de Petro. Sine argumentis qualiter horum peccata mortalia puniantur.

30 Utrum aliquod moveri reprobi sit accedere. Quod non, in Ps. *non enim qui operantur iniquitatem in viis tuis ambulaverunt*. Oppositum: quod sic, nam aliquod tale moveri est mereri. Hic posset inquiri qualem actum ymaginandi est divina voluntas habere circa huiusmodi actum. Sine argumentis qualiter premiantur merita seu opera ex caritate in
35 reprobis facta. Iuxta hunc modum multa poterit combinare.

An ARISTOTELES ivit post PELAGIUM. An SALOMON etc.

3 dormiente] oratione P2 **6** per] om. P2 dicentem] sup. lin. P1
10 simul] om. P2 **18** aliquod] quodlibet a. c. P1 **19** cadit] om. P2
25 aliquod] quodlibet P2 **32** sic] quia add. P1 **33** actum¹] ymaginanda
add. sed del. P2

Ex pretactis materiis forma multos titulos offerendos disputaturis
etc.

Utrum divina potestas sit realiter cuiuslibet alterius a se universaliter
causativa.

5 Utrum divina voluntas sit cuiuslibet actionis nostre prima regula
directiva.

3–4 utrum divina — causativa] prima *add. in marg. P1* **3** realiter] *sup.*
lin. P1 **5–6** utrum divina — directiva] secunda *add. in marg. P1*